



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

Guilielmus Holt migrat in Scotiam, & capitur. n. 25.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

1602. anno supra millesimum quinto decimo in Angliam soluturus diem obiit Duynkercæ.

Guilielmi  
Holti ini-  
tia.

Migrans in  
Scotiam  
capitur.

Vnde illi  
conflata in  
uidia.

XXV. Interea dum hæc aguntur in Anglia, & vel sudore viuentium, vel morientium sanguine Religio firmatur & crescit, sensit societas aduersum se in *Guilielmo Holt* æmulationis aculeos acriores, quàm aut hominis integritas, aut Societatis innocentia postularet. *Holtus* è Lancæstria oriundus, primis literarum principijs domi haustis, Rhetorum ac Philosophorum ornamenta adiunxerat in Academia Oxoniensi: Theologis etiam audiendis tres annos dederat, quando Hæresim pertæsus Duacum se recepit præceptis melioribus imbuendus. Isthic annos alios tres Theologicis institutis cum tradidisset, ordinibus sacris initiatus, Romamque profectus, in Societatem adscriptus est, sexto idus Nouembris anni septuagesimi octaui, ætatis annum agens trigessimum tertium. Decurso Tyrocinijs studio, anno altero Theologis euolendis dato, quoniam qui in Angliam missi fuerant *Campionus* & *Personius*, ad amplissimam colligendam messem flagitabant adiutores, iunctus *Heywodo Holtus* in eam Insulam nauigauit. Tenebatur id temporis arcta in custodia Regina Scotiæ, Hæc inter carceris angustias fidem Catholicam, Principisque filij salutem in præcipuis curis ponens, poscebat quempiam qui doctrina, pietate, industriâ illam sustinere, hanc datâ opportunitate in tuto collocare posset: Deligitur à *Personio Holtus*; Regiæ ad Regem puerum munitus literis in Scotiam penetrat; beneuolè initio accipitur; spem non leuem conceipit fructus humanitate excitatam principum virorum: Concidit tamen illa non ita multo post Caluinistarum puriorum depressa consilij, quæ inde ex Anglia fouebat *Elizabetha* cum suis incitabatque; captumque *Holtum* deposcebat ad quæstionem admoendum: Rex obstitit matrem reueritus & Oratoris Gallici precibus confirmatus. Post duos annos Scotiæ impenos iubetur liber Scotiâ discedere: Ita *Personius* ad Ribadeneiram in Septembri anni octogesimo quarti *Guilielmus Holte* (quem accepisti missum ex Anglia in Scotiam, carceres aliquamdiu tolerasse) nunc liber est; liberi etiam sunt alij Patres duodecim cum vno coadiutore recenter in eam vineam transmissi. Anno deinde octogesimo sexto vocatus Romam; & Seminario Anglorum de vibe moderando datus Rector ad sesquiannum præfuit: Tum in Belgium missus consedit Bruxellis ad decennium; frustra ad inuidiam infamiamque conflandam laborantibus æmulis; quam ille inuidiam semper animi æquabilitate singulari, atque inuicta patientia facilè depulit.

XXVI. Inde ab anno octogesimo primo *Alanus* & *Personius* cum reus Catholicæ in Anglia & Scotia communi consilio promouendam suscepissent, quoniam inter cætera auxilia, *Mariæ* Regiæ Scotiæ libertas (quam *Elizabetha* ab annis duodecim coërcuerat) non parum momenti allatura videbatur, *Carolus Pagettum*, & *Thomam Morganum* (qui Scotiæ rationibus se plurimum per literas vtro citroque ad illius necessarios datas immiscuerant) in consilium adhidendos censuere. Ortâ verò inter illos confestim consilio-

rum